Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in qua primum uidetur dominus populum precedens in columpna ignis. Etham
fortitudo sonat. siue perfectio. uel profectio. Preparemus ergo nobis fortitudi
nem assumentes profectum robur. ut inter errorum tenebras et confusionem noctis sci
entie et lumen appareat. Dies quoque noster nubem habeat protegentem. ut his
ducibus ad terram sancte repromissionis peruenire ualeamus. Quarta man
sio est phiaroth. que est contra beelsephon. Phiaroth interpretatur os nobilium. Vnde
assumpta fortitudine nobilitatem in domino et contempnentes beelsephon.
que interpretatur dominus aquilonis eiusque superbiam declinemus. Ab hac mansione
profecti filii israel transierunt per medium maris in desertum. uidebantque pha
raonem cum suo exercitu pereuntem mariam precinentem cum tympanis.
Quinta mansio est mara ad quam uenerunt filii israel transacto mare post triduum.
Mara autem interpretatur amaritudo. Post predicationem enim euangelii. et tabernacula
transmigrantium. post assumptam fortitudinem fidei. et post baptismum atque uic
toriam. rursus uenitur ad amaritudinem. ut uoluptas atque luxuria uite ama
ritudine terminetur. et per crucis lignum quasi per cruciatum iterum suauitas compensetur.
Sexta mansio est elym. ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta
palme. in figura duodecim apostolorum. et septuaginta discipulorum secundi ordinis.
de quorum fontibus doctrine potum hauriamus et dulces fructus uictorie carpamus.
Vnde et bene elym. uertitur in arietes fortes. Ipsi enim sunt robusti principes gregis.
duces omnium. doctores gentium. Septima mansio est iterum ad mare ru
brum. Queritur quomodo post transitum maris rubri. et fontis amari. et helym.
rursus ad mare rubrum uenerint. Nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam
maris occurrerit. iuxta quem castrametati sunt. Aliud est enim transire mare.
aliud in proximo figere tabernacula. Ex quibus monemur etiam post euangelicam disci
plinam et doctrinam et cibos dulcissimos triumphorum. apparere nobis interdum
mare. et preterita discrimina poni ante oculos. Octaua mansio est
in solitudine syn. qua tenditur usque ad montem syna. Interpretatur autem
syn rubus. uel odium. quia postea quam uenerimus in locum ecclesie. de qua
nobis dominus sit locuturus. grande odium meremur inimici. Nona man
sio est in depcha. que interpretatur pulsatio. iuxta quod dominus ait. Pulsate et
aperietur nobis. Sensus est manifestus. quia postquam uenerimus in locum ecclesie.